



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

29. Henrici IV. Imp. Dat. Spiræ, Anno MCI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

opus fuerit, cum cæteris nostræ familiae militibus seruire debent, nullique Ad-  
uocato vel Domino debent obedire nisi nobis, nec alicuius nisi parium suorum  
subiacere iudicio. Nomina eorum sunt hæc. Azecho & Regulo cum tribus  
fratribus eorum. Rucher cum Clerico uno, Hucercho, Guntram, Meiso, Inuza  
cum filiis suis & alijs complures. Qua de re precor in nomine Domini nostri Iesu  
Christi, ne quis successorum meorum, me in hoc reprehendat, vel male dica  
mihi ingerat, quasi ego volens & libera vrens potestate, tale bonum vñquā  
præstiterim, sed Deum testor & Sanctos eius, quod inuitus & valde coactus hoc  
feci, quia nisi ego, amicorum vsus consilio illud propria manu præstitissem, Do-  
minus meus Imperator illud ei perpetuo dono tradidisset. Post mortem Ansel-  
mi, cum iam sperarem, immo securus essem prædictum bonum ad Ecclesiam  
debere redire: Ecce vxor illius & Guntramus filius eius, & Gerlach, & Otto, &  
omnis illa parentela prædictum Imperatorem adierunt, & vt hoc ipsum bonum  
Guntramo filio eius præstarem assiduis precibus pullando vix tandem impe-  
trarunt. Postea vero orta seditione inter me & Archiepiscopum Eberhardum,  
cūm rei ita poposcisset necessitas vt Castrum S. Maximini custodire ac munire  
deberem, eidem Guntramo, vt ad me veniret, & intra Castellum nostrum cum  
suo sumptu excubias ficeret, vsque tertio mandaui, sed nullo modo hoc effice  
re potui. Tandem ad ultimum post legitimas inducias eum ad rationem posui,  
& iusto Iudicio suorum parium beneficium quod ex me tenebat ferè, ei auferre  
debui, sed obtenu Domini mei Imperatoris, quia ipse pro eo intercesserat, tali  
modo eum placitare permisi, scilicet vt ex prædicto bono XII. manus mihi Ec-  
clesiæq; redderet, & deinceps singulis annis XII. porcos saginatos, & totidem Ca-  
misalia fratribus pro vestitura persolveret, & quamdiu hoc ficeret beneficium  
suum liberè teneret. Si verò aut ipse in vita sua, aut aliquis suorum successorum  
hanc constitutionem à nobis, & à fratribus Ecclesiæ factam, & ab eo collauda-  
tam infregerit, illico totum beneficium perdat, & ipsum bonum cum omni  
integritate sua ad Ecclesiam redeat. Vt ergo hæc nostræ Constitutionis pagina  
per succendentia tempora posteris nostris innotescat, hanc descriptionis char-  
tulam fieri iussimus, & vt pleniorum in Dei nomine obtineat firmitatem, Sigilli  
impressione, scilicet Sancti Maximini iussimus insigniri.

29.


*Henrici IV. Imperatoris Datum Spiræ, Anno MCI.*

**I**N nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina fauente Cle-  
mentia Tertius Romanorum Imperator Augustus. Notum sit omnibus tam  
futuris, quam præsentis temporis fidelibus, quoniam duas Curtes, Suab-  
heim & Euernesheim, quæ iure fratribus de Sancto Maximino Treutensi ser-  
uire debebant, sed ob negligentiam Abbatum, & malorum hominum cupid-  
itatem fratribus alienatæ fuerant, & in beneficium datæ fuerant, nos quoque  
in beneficium donauimus, quia ipsos Abbates eas in beneficium deditæ ci-  
gnouimus, sed diuina misericordia nos exterius graui corporis molestia corripien-  
te, interius vero occultæ sua inspiratione clementer monente, contra Deum &  
Sanctum Maximum nos peccasse recognouimus, & quod delinquimus, ex to-  
to pectore corrigeremus, sperantes nobis diuinam gratiam, meritis &  
intercessionibus Beati Maximini reconciliari: Graui igitur corporis ægritudi-

ne

ne liberati, prædictas Curtes ob nostram ibi memoriam à fratribus per henni-  
ter faciendam, simul etiam pro remedio animarum Parentum nostrorum, Aui  
scilicet Cuonradi, & Patris nostri Heinrici Imperatorum, Gisilæ Auiæ nostræ,  
Agnetis matris nostræ Imperatricum, & filij nostri dilectissimi Heinrici V. Re-  
gis, aliorumque nostrorum parentum liberè reddidimus, ea videlicet ratione,  
vt Folcmarus eiusdem loci Abbas, ipsiusque successores prædictas Curtes ad  
usus fratrum Deo, sanctoque Maximino seruientium possideant, & nulli un-  
quam dare, beneficiare, vel vendere, vel in vadimonium alicui ponere, aut ali-  
quomodo abalienare præsumant. Decernimus quoque, ut in anniuersario die  
nostræ ordinationis ad Imperium, quæ est pridie Kl. Aprilis, fratres seruitum  
inde habent, & trecenti pauperes pascantur, & ex his duodecim vestiantur, &  
quod nobis viuente de pauperibus & fratribus fieri constituimus, idem post o-  
bitum nostrum in anniuersario nostro obseruari disponimus. Et ut hæc tradi-  
tio firma & inconuulsa in perpetuum permaneat, cartam præsentem Sigilli  
nostrî impressione insigniri præcepimus.

Signum Domini Henrici Tertij Ro-  
manorum Imperatoris inuictissimi.  
Humbertus Cancellarius Vice Archi-  
cancellarij recognouit. Data VII. Kl.  
Aprilis, Anno ab Incarnatione Domi-  
ni MCI. Indictione VIII. Regnante  
Henrico Tertio Romanorum Impera-  
tore Augusto, Anno XLVII. Imperan-  
te XVI. Acta est Spiræ in Dei nomine  
feliciter. Amen.



30.

*Henrici V. Imperatoris Datum Spiræ, Anno  
MCXII.*

**I**N nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente Cle-  
mentiâ Quartus Romanorum Imperator Augustus. Si Monasteria sacra &  
famulos inibi Deo famulantes à multimodis Aduocatorum oppressionibus  
præmunire studuerimus: Regni nostri & Imperij statum diuinitus inde corro-  
borari non dubitamus. Proinde fidelium nostrorum tam præsentium, quæm  
futurorum magnitudo comperiat, qualiter fidelis noster Berengorus videlicet  
Abbas de Monasterio Sancti Maximini, qui in suburbio Treuirorum corpora-  
liter quiescit, nostram Imperialem adiuit clementiam postulans & in Domino  
humiliter obsecrans, quatenus priuilegia prædecessorum nostrorum Henrici,  
Item Heinrici, nec non Cuonradi aliorumque Antecessorum nostrorum in-  
uictissimorum super multimoda Aduocatorum molestia, præfato Cœnobio  
concessa, nostris etiam priuilegijs renouare, & corroborare dignaremur. Cuius

peti-